28

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

SISTENS

CONVULSIONUM THEORIAM & THERAPIAM,

QVAM,

AVXILIANTE NVMINE DIVINO,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO DOMINO

TOBIA JACOBO REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAR. COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. SYNDICO ET CONSVLE,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN HAC PER-ANTIQVA HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

SVB PRÆSIDIO

DN. LAUR. THEOPH. LUTHER,

MEDIC. DOCT. CHYMIÆ PROFESS. PVBL. FACVLTAT. MED. ASSESS. ORDIN. P. T. DECAN. ET CIVITAT. ERFORD. CONSVL. SENIOR. AC PHYSICI,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADU DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS

RITE ET SOLENNITER IMPETRANDIS,

PVBLICÆ PHILIATRORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS,

JUSTIN. THEOPHILUS WACHTEL,

Lerchenbornenſis Sileſius.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XXX. APRILIS M DCC XXXIV.

ERFORDIÆ, Litteris HERINGII, Acad. Typogr.

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICÆ

DE

CONVULSIONUM THEORIA ET THERAPIA,

PROŒMIVM.

QUod creſcentibus delictis neceſſario quoque delictorum pœnæ creſcant, non ſolum jam dudum ſaniores Ethnici affirmarunt & pronunciarunt, ſed etiam Chriſtianorum omnes agnoverunt & confirmarunt: Sicuti enim Magiſtratus politicus facinora atrociora ordinariè rigidioribus animadverſionibus pœnisque ſeverioribus inſequitur; ita quoque

 ſupre-

ſupremus ille Legislator, Deus nimirum T. O. M. ſimiliter immenſa & innumera noſtra ulciſcitur peccata, dum ſemper, quo majora illa fuerint, eo gravioribus nos affligit calamitatibus, atque atrocioribus irarum telis aggreditur. Hinc modo famem & annonæ penuriam regionibus immitit, ut panem & victum quærentes homines nullibi quicquam inveniant; modo etiam truce & infenſiſſimo Marte nos premit, atque bella ſæviſſima, omnis generis infelicitatum feraciſſima, finibus noſtris accelerat, modo denique omnibus morborum generibus adeò nos torquet, diſcruciat atque fatigat, ut vix in lucem editi, diverſis ſtatim malis ſonticis ac periculoſis obnoxii fiamus, quæ dein cum annorum accremento majora indies ſumunt incrementa, donec tandem deleteria prorſusque lethalia nobis evadant, inprimis ſi inſuper communiſſima illa vitia, totam corporis humani Oeconomiam adhuc magis perturbantia, veſana nimirum luxuria, & dira hominum vexatrix, libido, ſimul accedant, quæ intimiora & nobiliora machinæ noſtræ hydraulico-pnevmaticæ organa impurorum & corruptorum

rum

rum humorum recrementis conſpurcant, inquinant, & usque adeò depravant, ut vix unquam ad priſtinum & debitum integritatis naturalis ſtatum reduci queant. Hi ipſi autem morbi, quo magis circa interiora & abſcondita viſcera primam nanciſcuntur ſedem atque originem, eò intricatiores curatuque difficiliores plerumque deprehenduntur; quod etiam in iis maximè obſervamus, qui à cauſis magis moralibus, quam nudè materialibus & phyſicis, dependent, motuumque inſolitis exacerbationibus potiſſimùm ſe ſe produnt: Hinc *Epilepſiam* Veteres vocârunt *morbum ſacrum*, vel quod deſperaverint quaſi, cauſam ejusdem ex naturalibus deduci poſſe, vel quod optârint eandem intimius & exactius cognoſcere: Unde etiam CONVULSIONES, quas cæteroquin cum prædicto hoc affectu ſæpiſſimè confundebant, affectum calamitoſum, cognitu difficilem, periculi plenum, commiſeratione dignum, curatu celebrem, appellitârunt, qui non rarò citra cauſam manifeſtam admodum vehementer ſubjecta affligere ſolet, hacque ratione ſtolidæ plebi occaſionem præbet, ut ſupra naturales cau-

 ſas

ſas abſolutè accuſet, fingat atque ſupponat. Ob hanc igitur cauſam, loco Speciminis inauguralis, pro capeſſendis in Medicina ſupremis honoribus & privilegiis Doctoralibus, in affectus hujus admodum gravis & fontici naturam & cauſas paulò diligentius, quantum quidem fieri poterit, inquirere, operæ pretium duxi, quo, cognitis antea his circumſtantiis, tandem genuinam & rationalem methodum eidem medendi ſubjungere queam. Ut autem Deus T. O. M. labori huic ex alto clementiſſime benedicat, omniaque in Sacro ſancti Nominis Sui honorem & gloriam, proximique ægrotantis ſolatium magnum ac emolumentum certiſſimum vergere ſinat, devotiſſimè nunc precor atque exopto,

§. I.

CONVULSIONIS vocabulum â *convellendo*, & quod hujus loco Græcis in uſu eſt, Spaſmi nomen, ἀπὸ τοῦ σπᾶν, vel σπᾶσθαι, â *trahendo*, originem ſuam deducere, quoniam partes ſubitò convulſæ, mediantibus fibris nerveis, tendinoſis & muſculoſis, ſummâ quaſi vi trahi videntur, eoque ipſo inflectuntur & cum ſatis notabili vehementia præternaturaliter commoventur, omnibus notum imò notiſſimum eſt, quapropter vix opus erit, ut de Etymologia hujus vocis quicquam adjiciamus, ſicuti etiam ratione Synonymiæ nihil ferè monendum eſt, niſi quod alii ſub titulo *rigoris*

goris nervorum & muſculorum; item *tenſionis*, nec non *torturæ nervorum*, aut etiam *diſtenſionis*, eundem affectum indigitent, quanquam ultimum hoc nomen propriè non omnibus Convulſionum ſpeciebus competat, ſed unicè tantum Tetano, ubi membra minimè incurvata, ſed, muſculis utrinque exactè convulſis, rigida & diſtenſa apparent.

§. II.

Homonymiam autem quod attinet, diverſo utique ſenſu uſurpatum deprehendimus hoc Vocabulum, ſiquidem in genere non ſolum pro *morbida diſpoſitione*, quam dein immediatè excipit membrorum motui deſtinatorum actio depravata, ſumitur, ſed & quoscunque motus convulſivos, tam epilepticos, quam alios, denotat, prout hoc liquet ex *Aph. 70. Sect. V. & Epidem. 6.* HIPPOCRATIS, circa finem. In ſpecie autem deſignat illud Symptoma, quod in Contractione p. n. partium quarundam, vel etiam totius corporis, cum dolore permanente facta, conſiſtit, ita ut convulſa ad tempus & quaſi rigida perſiſtant membra, quo ſenſu non ſolum ab HIPPOCRATE & GALENO in Aphoriſmis eorumque Commentariis, ſed etiam â modernis Medicis, accipitur, adeoque hac ratione etiam ſpaſtici quidam affectus, horumque graviores & periculoſiores, aliàs ſub *ſpaſtico-convulſivorum* titulo â quibusdam comprehenſi, non ineptè ad generalem hanc Convulſionum claſſem referuntur.

§. III.

Hoc ſenſu nunc ſumptæ CONVULSIONES, *ſunt repentinæ, tam vagæ & reciprocæ, quam ſtabiles & quodammodo permanentes, ſimulque dolorificæ, motus tonici exacerbationes, in partibus muſculoſis, ſubito tractis atque remiſſis, maximè occurrentes, quibus communiter Principium vitale adverſum quidpiam, modo reale, modo etiam mente fictum, expellere intendit.*

§. IV.

Quanquam autem hæc Definitio idem cum Spaſmi definitione exhibeat genus, *exacerbationem* nempe *motus tonici* ultra naturalem gradum, minimè tamen propterea Spasmos indiſcretim cum Convulſionibus confundere intendimus, pro

ut

ut illi faciunt, qui græcum Spaſmi vocabulum ubique per *Convulſionem* vertunt, quin potius ſequentem inter hos affectus ſtatuimus diſtinctionem, quod in Spaſmis ſemper rigidæ, ſtatariæ & immanentes, quoad gradum mitiores, ratione dolorum verò graviores, quam quidem ſub Convulſionibus, occurrant tenſiones, quæ in his aliquando ſimul vagæ, quandoque etiam quodammodo continuæ, ſemper autem vehementiores & inſimul non uſque adeo dolorificæ exiſtunt. Ex quibus liquido nunc apparet, quod non immerito graviores illas, tam univerſales, quam particulares Spaſmorum ſpecies, veluti Tetanum, Opiſthotonum, Riſum Sardonium, &c. quæ aliàs quoque cum veris Convulſionibus facile conſpirant, & interſcenia quaſi illarum exhibent, eaque propter à quibusdam Medicis non ineptè ſpaſtico-convulſivi affectus vocantur, ad Convulſionum claſſem referre queamus.

§. V.

Solent equidem accuratiores quidam Medici ſpecialiorem quandam diſtinctionem inter hos ſpaſtico-convulſivos affectus & veras Convulſiones, formare, dum ſub illis ſolummodo contractiones illas inſolitas & præternaturales muſculorum, aliarumque partium fibroſarum, quæ diuturniores ſunt, & ſub quibus membrum immobile manet, comprehendunt, quas *Convulſiones veras* vocant, ſub his verò reciprocas, vagas & interpolatas muſculorum tractiones intelligunt, quas dein *motus convulſivos* vocant. Aſt, cum hæc diſtinctio pluribus facile anſam præbere valeat confuſionibus, hinc meritò eandem hic prætermittimus. Similiter ferè comparatum eſt cum illa diſtinctione, quam LINDANUS *in Meletemat. Phyſiolog.* ex Hippocratis ſenſu adducit, inter *Concuſſionem & Conductionem*, quarum hæc cum *Convulſione vera*, illa verò cum *motibus convulſivis* convenit, licet prorſus peculiaribus easdem inſigniverit nominibus, dum nempe *Conductionem*, quæ in varia agitatione & vibratione, ſeu reciproca extenſione & contractione membrorum conſiſtere debet, propriè *Convulſionem clonicam*; è contra autem *Concuſſionem*, quæ ex membri rigidi contractione & perduratione in uno ſitu, ſive figura, judicari

cari debet, *Convulſionem tonicam* vocat, quia *tonus*, juxta CELSVM, non niſi in immobilitate & rigore membrorum conſiſtere debet: Cum verò hâc quoque ratione entia præter neceſſitatem multiplicentur, hinc non immerito hanc diſtinctionem omitti poſſe judicamus.

§. VI.

Melior autem & utilior eſt diſtinctio inter *idiopathicas & ſymptomaticas convulſiones*, quarum illæ ſine evidente complicatione cum aliis morbis corpus infeſtant, & maximè periodicè, præſertim circa inſigniores Lunæ phaſes, ex cauſa merè ideali & morali, modo planè erroneo, recurrunt, atque aliàs ſub commmuni *Epilepſiæ* nomine veniunt; hæ verò, de quibus etiam in præſentiarum potiſſimum nobis ſermo erit, cauſas maximè ſonticas, morboſque prægreſſos, vel adhuc præſentes, pro fundamento habent, iisque poſtmodum ſuperveniunt, & quidem vel per ἐπιγένεσιν, ubi morbus primarius ſimul manet vel κατὰ μετάπτωσιν, ubi præcedens affectus in hunc degenerat atque deſinit, id quod præcipuè in gravioribus ſpaſticis affectibus multoties experimur.

§. VII.

Proinde etiam ratione *ſubjecti* Convulſiones optimè diſtingvuntur in *univerſales*, quæ totum corpus occupant, & ubi Cerebrum principaliter, una cum toto Syſtemate nervoſo atque muſculis undique ipſi annexis, afficitur; & in *particulares*, ubi unicus ſaltem, vel plures unius membri muſculi convelluntur, qui dein antagoniſtas & reliquos ſanos pariter, ob conſenſum, ad ſe trahunt, ita attractos ſæpè cum dolore, propter fibrarum nervoſarum contentionem, per aliquod tempus detinent. Priorum, ſeu *univerſalium Convulſionum*, propriè quinque numerantur ſpecies, prima, ubi muſculi tam caput, quam reliquum corpus *antrorſum* flectentes, convelluntur, quam *Emproſthotonum* vocant; ſecunda, ubi his oppoſiti muſculi afficiuntur, ſicque corpus *retrorſum* convellitur, quæ Opiſthotonus audit; tertia, ubi *dextrorſum;* quarta, ubi *ſiniſtrorſum* flectitur, & quinta, ubi *æqualiter* convulſis omnibus corporis muſculis, totum corpus adeo obrigeſcit, ut vel in ſitu

 recto

recto immotum jaceat, vel etiam in tali ſitu, quo illud prehendit, firmiſſimè obrigeſcit, ut geſtus oris, oculorum ac membrorum planè eosdem ſervet, prout in Tetano & Catalepſi videmus.

§. VIII.

Particularium autem *Convulſionum*, pro varietate partium, quas occupant, multiplices quidem dantur ſpecies, quarum tamen pauciores peculiaribus nominibus, ab effectu vel ſymptomate deſumtis, inſignitæ ſunt: Sic, ſi oculorum musculus unus vel alter convellitur, ut pupilla verſus internum vel externum canthum vergat, *Strabiſmus*, germ. das ſchielen, vocatur; ſi muſculi buccarum aut labiorum ab utraque parte, inprimis autem quadratus ille, potiſſimum in collo ſitus, qui fibras ſuas obliquas ſurſum ad medium faciei, in mentum, labia & naſi radicem mittit, adficiantur, tunc homo verè ridentis ſpeciem præ ſe fert, unde hic affectus *riſus ſardonius* dicitur; ſi verò ab unica ſaltem parte unus horum muſculorum patiſi tur, tunc os inſtar canis ringentis diſtorquetur & trahitur, qui affectus *Spaſmus Cynicus* audit. Porrò, ſi mandibularum & temporum muſculi ita rigidè contrahuntur, tunc invita dentium concuſſio ſuccedit, quæ τρισμὸς, ſeu *ſtridor dentium*, das Zähnknirſchen, appellatur; ſi muſculi pectoris, reſpirationem præſertim adjuvantes, comprimuntur, ſicque hæc ipſa nimium quantum impeditur & admodum brevis redditur, *Aſthma convulſivum* nuncupatur; ſi denique muſculi penis rigide diſtenduntur, atque hæc pars diutius, citra tamen voluptatem, imò potius cum dolore erigitur, *Priapismus* emergit, ê contra verò, ſi absque dolore & cum aliquo ſtimulo venereo talis erectio contingit, *Satyriaſis* ſuccedit. Hæ ergo ſunt illæ ſpecies, quæ propriis nominibus gaudent, reliquarum autem denominationes â partibus affectis ordinarie deſumuntur.

§. IX.

Quod *ſigna diagnoſtica* harum modo enumeratarum convulſionum univerſalium & particularium attinet, ſupervacaneum erit, fuſius ea recenſere, cum ex jam jam traditis ipſa-
rum

rum deſcriptionibus & denominationibus perquam facile à ſe invicem diſtingui queant; hinc paucis tantum generalia antecedentia & concomitantia ſubjungere placet. Imminentes igitur, præſertim ſymptomaticas Convulſiones, arguunt ſubitaneus aurium tinnitus, capitis gravitas inſolita cum ſenſuum hebetudine, cordis palpitatione, vigiliis, aut ſomno interrupto, item pavores & ſomnia terrifica de igne lucido, tonitru, &c. nec non ſplendores & coruſcationes, variorumque colorum apparitiones ante oculos. Sic quoque, ſi in principio morbi de dolore in bulbis oculorum, ſine Ophthalmia, conqueruntur ægrotantes, item quando motum quendam tractorium in membris, aut ex iis aliquid ſub auræ frigidioris ſpecie verſus caput ferri ipſis videtur, Convulſiones brevi poſt ſubſequuntur, quemadmodum hoc ſæpiùs ſe obſervaſſe referunt ETTMÜLLERVS *Opp. Tom. II. p. 882.* & RIVERIVS *Prax. Lib. I. cap 7.* Tandem etiam, ſi Medicus pulſum tangens, tractiones quasdam ac tenſiones, aut ſubſultus & vibrationes quasdam tendinum, qui frequenter ſupra carpum repunt, deprehendit, de imminentibus Convulſionibus ſatis ſonticis certus eſſe poteſt.

§. X.

Præſens nunc Convulſio itidem perquam facile cognoſcitur, cum per ſe ſit aperta, omniaque ejus ſymptomata in ſenſus incurrant: Quando enim tractio involuntaria obſervatur in membris, motu completo cæteroquin gaudentibus, cum dolore ſatis notabili atque moleſto; quando membra adeò rigide tenduntur, ut vi diſtorqueri haud poſſint, corpus vel antrorſum vel retrorſum trahitur, aut in utramque regionem æqualiter tenditur & rigidum detinetur, idque vel continuo, vel, quod ſæpius obſervatur, periodicè. Præterea etiam varia alia adhuc accedunt ſymptomata, videlicet, præter frequentes oſcitationes, inſignis anguſtia præcordiorum cum ſatis vehementi cordis palpitatione, ut viſu & tactu eadem exquiſite percipi queat, imminuitur reſpiratio, imò quandoque ſufflaminata videtur, aliquando etiam auctior & citata apparet, inflatur facies & pulſus fit celer,

frequens, aut ſaltem inordinatus. In pueris obſervatur, interdum profundior umbilici retractio verſus interiora, in aliis flatulentia inſignis concurrit, ſub qua abdomen tympani inſtar expanſum deprehenditur, unacum aliis ſymptomatibus, pro diverſitate partium, quas affectus talis occupat, & actionum in iisdem contingentium, præſertim variantibus.

§. XI.

Præmiſsâ Hiſtoriâ Convulſionum, ordinis ratio nunc poſtulat, ut ad ætiologiam ipſarum progrediamur, & cauſas illas adducamus, quæ iisdem excitandis & inducendis præcipuè favere poſſunt. Cum verò ſumma rei in eo potiſſimum conſiſtere videatur, quod in omni Convulſione ſemper extrema & ſumma motus tonici exacerbatio adſit, quæ citra peculiarem & extraordinariam Principii vitalis irritationem, per cauſas modo phyſicas, modo morales factam, contingere haud poteſt, hinc meritò *cauſam immediatam* talium affectuum in hac ſingulari irritatione & intentata fortiori quadam excuſſione materiæ cujusdam adverſæ, modo actu præſentis, modo etiam mente tantum conceptæ & præfiguratæ, conſiſtere autumamus, cujus intuitu poſtea, ſi ordinaria adminicula ad illam removendam non ſufficere deprehendat Anima, tandem, licet erroneè, motum tonicum vitalem ad extremam energiam intendit, &, quod antea placidè & ſucceſſivè removere non potuit, nunc ſimultaneo actu & impetu vehementiori expellere & abigere tentat.

§. XII.

Cauſa mediata proximior, propter quam talis extrema motus tonici exacerbatio ſuſcipitur, indolis modo *materialis*, modo etiam *immaterialis* exiſtit: Ad priorem referimus Plethoram, tam ſimplicem, quam etiam cum ſpiſſitudine conjunctam, ad ſubeundas ſonticas & periculoſas ſanguinis congeſtiones eluctatorias, aut ſtagnationes pernicioſas circa nobiliora viſcera, admodum pronam, ut & graviores Lymphæ inſpiſſationes ac coagulationes, per refrigerationem aliasvè cauſas, circa caput inprimis, inductas, quales in infantibus

fre-

frequenter occurrere ſolent. Ad poſteriorem pertinet diſpoſitio hæreditaria, quæ ſingularis eſt planè efficaciæ in his affectibus, nec non impreſſiones ideales per veneficia & philtra, ſpeciatim ſanguinem menſtruum orgaſticum propinatum, excitatæ, atquè tandem periodi temporum, præſertim notabiliores Lunæ phaſes, ad revocandas idiopathicas convulſiones itidem non parum contribuentes, cujus effectus veram cauſam quanquàm ita exactè indicare vix poſſimus, meritò tamen ſuſpicamur, plus moralis & finalis rationis, quam phyſici & corporei impulſus, intuitu hujus phænomeni ſubeſſe.

§. XIII.

Cauſas denique *occaſionales* quod attinet, multivariæ utique ſunt, ideoquè potiores ſaltem, ob temporis & chartæ anguſtiam, enumerare placet. Ex *naturalium rerum* claſſe maximè huc confert ætas puerilis, ob teneritudinem nervoſarum partium & propter ἀδδηφαγίαν, nec non ſenilis, ob ſerum magis viſcidum & vappeſcens. Ex *non-naturalibus* multum huc facit aër frigidus, quatenus mordax eſt & nervis inimicus, *confer.* HIPPOCRATIS *Aphoriſmi* 17. 18. & 20. *Sect. V.* Calorem enim naturalem infringit, & acriorum Θino-♀earum impuritatum excretionem per tranſpirationem inſenſibilem cohibet. Deinde huc referendus eſt etiam *Cibus* dyſpeptus, impurus, fermentativo-putredinoſus, inconſideratè aſſumtus, v. g. Panis ſecalinus, farinâ frumenti corniculati, ſeu ita dictorum clavorum ſecalinorum, vulgò Mutter-Korn, nimium inquinatus, â cujus eſu circa ſuperioris ſeculi initium convulſio quædam ferè epidemia, *morbi rigidi* nomen ſortita, & â Germanis, die Kriebel-Kranckheit, Krampffſucht, dicta, juxta plurimorum illius temporis Scriptorum mentem, originem & cauſam ſuam materialem ſumſit, *vid. Celeb. b. m.* SCHEUCHZERI *Obſervatio, de Gangræna, aliisve pravis ſymptomatibus, ab eſu panis, clavorum ſecalinorum farina inquinati, excitatis;* BUDDEI *Conſilium medicum de hoc morbo, Miſcellanea Lipſienſia Tom. V. Obſerv.* 102. *p.* 131. *Acta Medicor. Berolin. Decad. II. Volum. VI. Obſerv.* 3. & *Annales Med. Phyſic. Wratislav. Ann.* 1717. *M. Julio,*

Claſſ. IV. Artic. II. & Menſ. Decembr. Claſſ. II. Artic. I. §. 7. p. 397. Sic etiam abuſus *potulentorum* ſpirituoſorum atque vinoſorum, ad inebriationem usque, eximiam ad inducendos hoſce affectus præbere poteſt occaſionem.

§. XIV.

Porro etiam tam *nimiæ excretiones*, v. g. Hæmorrhagiæ qualescunque exceſſivæ, item hyperemeſes & hypercatharſes, præſertim per Mercurialium, Antimonialium, Hellebori & Vitrioli albi, aliorumque draſticorum remediorum uſum excitatæ; quàm etiam *retentiones* excernendorum, videlicet menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſiones, præcipuè repentinæ, ſeminis in maribus & liquoris genitalis in fœmellis inſolitæ accumulationes, propter defectum exercitii venerei, multum etiam huc faciunt, ſicuti hoc nomine quoque accuſanda ſunt *animi pathemata* graviora, v. g. ira, terror, amor veſanus & deſiderium, quæ non ſolùm ſubitaneas Convulſiones perquam facilè inducunt, ſed & pertinaciter fovent, magisque adhuc augent, prout hoc in infantibus ſæpiſſimè obſervamus. Sic SCHENCKIUS *Lib. II. obſervat.* mulierem quandam ex terrore, ob ædium incenſionem oborto, Convulſiones paſſam eſſe refert; magis autem notatu dignum exemplum habet GABELCHOVERUS *Cent. IV. Curat. 59. it. Curat. 23. & 24.* de quodam, qui ex facillima iracundia in graves incidebat Convulſiones, per aliam verò animi commotionem, terrorem ſcil. â ſuperaffusâ aqua frigida excitatum, confeſtim in ipſo paroxyſmo levabatur & curabatur.

§. XV.

Quod præternaturalium rerum claſſem attinet, ex hac quoque variæ proveniunt cauſæ occaſionales, pernicioſos hoſce affectus accelerantes & introducentes: Sic frequenter obſervamus, febres quasvis, maximè verò acutas & malignas, infeliciter decurrentes, terminari in Convulſiones: Nam ex Eryſipelate & febre Opiſthotonum obortum eſſe, refert SCHENCKIUS *in Obſervationibus.* Quod etiam *Podagrâ* laborantibus, contra GALENI ſententiam, quandoque ſuperveniat

niat Convulſio, teſtatur HOEFERUS *Hercul. Med. p. 14.* nec rarum eſt, poſt perpeſſos graviores *arthriticos dolores* tandem in partibus ita affectis contracturas rigidas, Convulſionibus chronicis non abſimiles, ſuccedere. Adhuc frequentiùs autem dentitio difficilis, retropulſio cruſtæ lacteæ, ſcabiei, achorum, vel aliorum ulcerum manantium, reſpirationis interceptio â tuſſis vehementia, aut materiâ admodum tenaci, quin ipſi etiam vermes, maximè in infantibus, varii generis convulſiones inſolitas, ſæpiùs veneficiis & magicis cauſis adſcriptas, inducunt, quorſum etiam pertinent varia intra cerebrum depoſita recrementa, aut alia ſub cranio latitantia inſolita, v. g. feſtucæ, grumi ſanguinis, pus, &c. Ita RHODIUS *Cent. I. Obſerv. 49.* de muliere convulſa refert, quod poſt ejus mortem omnes cerebri ventriculi ſero limpido bilioſo referti deprehenſi fuerint, ex quibus illud etiam in ſpinalem medullam profluxit. Sic quoque SCHENCKIUS in capite cujusdam Opiſthotono demortui, duo cochlearia aquæ acris intra duram matrem & cerebellum invenit. TULPIUS verò *Cent. I. cap. 23.* Convulſiones corporis cum dolore capitis, expulſo purè ex naribus curatas, obſervavit.

§. XVI.

Inter *externas* res præternaturales omnes illæ huc referendæ ſunt, quæ manifeſtam & graviorem quandam irritationem in partibus ſenſibilioribus excitare ſolent, ut ſunt morſus animalium iratorum, contuſiones graviores, puncturæ aliæve læſiones nervorum & tendinum, præcipuè circa articulos factæ, tam per V. Snem, quàm aliâ ratione, qualia exempla apud RHODIUM Cent. I. obſerv. 51. 52. & 53. FORESTUM *Lib. X. obſerv. 119.* PLATERUM *p. 149. atque* SCHENCKIUM *in Obſerv.* proſtant. Poſt *fracturam* tibiæ ex ictu ſclopeti, Opiſthotonum primò, deinde Tetanum, tandem mortem inſecutam obſervavit HOECHSTETTERUS *Dec. V. Obſerv. caſ. 6.* Quam facilè etiam *Vulneribus* gravioribus, præſertim capitis, Convulſiones ſuperveniant, per experientiam jam notum eſt: HILDANUS enim ex cutis vulnere in latere ſiniſtro capitis, ingentem Spaſmum cynicum & univerſi corporis Tetanum

tanum obortum fuiſſe refert *Cent. V. obſerv. 9.* BARTHOLINVS autem *Hiſtor. anatom. rar. Cent. VI. Hiſtor. 2.* convulſionem oppoſitæ partis â capitis vulnere, & SCVLTETVS *in obſerv. p. 83.* Convulſionem oculi ex Cerebri concuſſione, deſcribit. Ex clavo, digito pedis infixo, Opiſthotonum factum fuiſſe refert SCHENCKIVS *loc. citat.* Pertinet huc quoque incautus ☿ialium uſus externus, ſiquidem ex uſu talium ungventorum convulſionem capitis ad latus ſiniſtrum, ut naſus & humerus rectâ lineâ copularentur, obſervavit BARTHOLINVS. *l. c. Cent. IV. Hiſtor. 48.* confer. quoque HEVRNIVS *de affect. capitis, cap. 23.* Tandem etiam ab epota per errorem *aquâ forti*, adeò magnam omnium membrorum contractionem convulſivam in Chirurgo quodam ſe vidiſſe affirmat JACOBÆVS *in Actis Haffnienſ. Volum. I. p. 210.* ut, qui antea juſti viri ſtaturam habuerit, poſtea vix Pygmæi, vel ſeptennis pueri obtinuerit.

§. XVII.

Quoad Prognoſin Convulſionum, & quidem in genere, variat utique eadem, pro conditione virium ægrotantis, aliarumque circumſtantiarum, nec non propriæ indolis diverſitate, ſiquidem *ſymptomaticæ*, quæ per conſenſum fiunt, minus periculum portendunt, & facilius, cæteris paribus, curari poſſunt, quàm *idiopathicæ*, aut illæ, quæ â patheticis commotionibus, vitio hæreditario, Veneficiis atque Philtris inductæ, vel etiam in habitum jamjam deductæ ſunt. Quæ febribus acutis, nec non malignis, ſuperveniunt, Convulſiones, plerumque lethales ſunt, niſi per criſin adhuc ſolvantur. Vid. Hippocratis Aphor. 10. Sect. IV. Quo magis particulares ſunt Convulſiones, h. e. certas tantum partes, cerebro maximè vicinas, ut labia, palpebras, lingvam, &c. occupant, & quo vehementius atque diutius durant, eo periculoſiores ordinariè ſunt, quia vel mortem imminentem, aut gravem ſubſecuturam Epilepſiam innuunt. Sic etiam periculoſæ ſunt Convulſiones poſt nimias hæmorrhagias oborientes, juxta *Aphor. 3. & 36. Sect. V. & Aphor. 9. Sect. VII.* quod etiam de iis valet, quæ hypercatharſin, poſt aſſum-

ptum Helleborum album, aliavè draſtica, ſequuntur, juxta *Aphor. 1. & 4. Sect. V. & Aphor. 25. Sect. VII.* licet etiam exempla quædam eorum, qui ſub his circumſtantiis adhuc evaſerunt, extent apud SENNERTUM *Prax. Lib. I. p. 565.* & PETRÆUM *Noſolog. harmon. Lib. I. Diſſert. 8.* Non minus etiam periculoſæ ſunt Convulſiones Ileo ſupervenientes, juxta *Aphor. 10. Sect. VII.* & poſt nimias vigilias obortæ, ut habet *Aphor. 18. ejusdem Sect.* De reliquo melius eſt febrem convulſioni, & quidem chronicæ, ſupervenire, quàm convulſionem febri, notante HIPPOCRATE *Aphor. 26. Sect. II. & Aphor. 57.* modo febris non ſit maligna, ſed ſaltem continua, vel etiam intermittens, ſiquidem ipſa quartana non ſolum à Convulſionibus præſervat, ſed & easdem, ſi ipſis ſupervenerit, prorſus tollit, juxta *Aphor. 70. Sect. V.* & Salmuthi obſervationem *Cent. II. Hiſtor. 84.*

§. XVIII.

Cum autem ex hactenus recenſitis circumſtantiis abundè nunc pateat, quod convulſiones ita generatim ſpectatæ magis ſymptomaticæ, quam idiopathicæ ſint, hinc etiam ratione *methodi medendi*, præmiſſis generalioribus & univerſalibus, primarius morbus ante omnia reſpiciendus eſt, quippe quo feliciter ſublato, ſi non ſponte remittant Convulſiones, facile tamen per appropriata medicamenta iterum mitigari poſſunt; qua de cauſa ſequentes obſervandæ erunt indicationes: *I. Ut cauſa antecedens materialis, irritationem iſtam extraordinariam inducens, convenienter removeatur. II. Extrema illa motus tonici exacerbatio temperetur & mitigetur, ac tandem III. Partes affectæ hac ratione nimium debilitatæ iterum roborentur.*

§. XIX.

Quod ſpectat ad *primam indicationem*, probè notandum eſt, ut ubique uſui remediorum ſpecialiorum & indoli primarii morbi convenientium, generalia, ſeu univerſalia evacuantia, in ſpecie verò blandæ primarum viarum repurgationes, per ita dicta cholagoga & melanagoga, nec non Clyſteres carminativos & lenientes, quorum injectio præ reliquis præſer-

tim proficua in ejusmodi caſibus deprehenditur, præmittantur, exceptis ſaltem illis convulſionibus, quæ febribus acutis & malignis ſuperveniunt, ubi hæc omnia prorſus omittenda ſunt. Quodſi etiam ſubjecta admodum plethorica, atque ſanguinis depletionibus artificialibus aliàs aſſveta fuerint, has verò neglexerint, aut etiam hæmorrhagiarum ſalutarium ſuppreſſiones occaſionem ejusmodi affectibus præbuerint, tunc quoque vel V. Sriem, vel ſcarificationem, pro conditione ſubjectorum & reliquarum circumſtantiarum, extra paroxyſmum præmittere, & tunc demum remedia primario morbo convenientia ſubjungere licet, nimirum in *cauſa vermium*, ſcabiei, aut etiam aliorum *exanthematum retropulſorum*, Mercurium dulcem, una cum ordinariis anthelminticis, item flores 🜍is, ♁ium diaphoret. ſuccinata & anticatarrhalia, quæ ultima etiam in *pectoris vitiis*, nimiaque lymphæ viſciditate, vel etiam aſthmaticis inſultibus quadrant, ſimulque cum Tincturis alcalinis, & in phlegmaticis moderatè cum ⊡ſis volatilibus, v. g. ♌tu C. C. rectif. vel Liqv. C. C. ſuccin. remiſceri poſſunt.

§. XX.

Quodſi *febribus* ſuperveniant convulſiones, diapnoica in Potionum vel Emulſionum forma conveniunt, conjunctis frictionibus, diluentibus calidis & regimine temperato. Ubi *recrementa bilioſa* in culpa ſunt, quod præcipuè in infantibus contingit, poſſunt Rhabarbarina, ☉ fulminans, Chryſt. mont. præparata, ⦶ſa & abſorbentia, cum Clyſteribus lubricantibus & carminativis in uſum vocari. Si *hyperemeſis* vel *hypercatharſis* anſam præbuerit, tunc ſtomachica, roborantia, aromatica, & urgente neceſſitate theriacalia, conjunctâ quiete corporis, proficua erunt. In *nimia ſpermatis abundantia* conducunt refrigerantia, ⦶ſa, diæta tenuis & parcius nutriens, cum ſufficiente labore corporis; poſt *Philtra* autem, vel *venena* propinata, tempeſtivè vomitoria, diluentia, lubricantia & alexipharmaca ordinanda ſunt, quæ ultima etiam poſt prægreſſos *morſus* & *ictus animalium iratorum* & *venenatorum* conveniunt, imponendo poſtea parti læſæ cucurbitulas ſcarifica-

rificatas, 🝆 Scorpion. Theriacam Androm. aut Empl. magnet. arſenicale, cum prædicto 🝆eo, aut 🝆eo Bufon. malaxatum.

§. XXI.

Secundæ indicationi optimè ſatisfieri poteſt internè per ⊕ſa atque alia antiſpaſmodica, ſubjungendo tempeſtivè convenientia ſpecifica, verſus paroxyſmum potiſſimum, ſub leni regimine, propinanda, quorum quidem ingens in Practicorum Libris apparet numerus, è quibus potiora ſaltem heic adducere & enumerare placet, ex ſimplicibus nimirum Lumbric. 🜃ſtres, corda & hepata Talparum, Ranarum viridium aut Hirundinum, Cran. human. præparatum, Ωtus & Eſſ. Caſtorei, Ωtus ſanguinis humani, præſertim verò toties celebratum 🝆 animale Dippelii; ex compoſitis autem Specif. cephal. Mich. Pulvis epilepticus March. Specific. antiepilepticum Illuſtr. STAHLII, & urgente neceſſitate MP. de Cynogl. vel Theriaca cœleſt. parciſſimis doſibus exhibenda. Externè conveniunt omnia illa, quæ ſub forma inunctionis 🝆ſæ vel ſpirituoſæ applicantur; hæc ipſa autem in genere, quo minus ſunt unctuoſa & viſcida, minusque obſtruunt poros, magis verò penetrantia & Ωtuoſa ſunt, eo melius conducunt, uti ſunt v. g. Liquamen 🝆ſum Lumbr. 🜃eſtr. aut Flor. Verbaſci, in clibano paratum, 🝆 Lumbric. Ωtus Vini camphorat. atque crocatus, Ωtus Caſtor. & theriacal. 🝆 Vulpinum, Caſtor. Laurin. Therebinth. Succin. pingved. human. canin. anſerin. Ungv. ſpaſmod. Mynſ. nervin. aut dialtheæ, quæ, præmiſſis frictionibus calidis, vel fomentis & balneis emollientibus, partibus affectis optimè inungi poſſunt.

§. XXII.

Quoad *tertiam* denique *indicationem*, quodſi per hactenus recenſita medicamenta impetus motuum ita exacerbatorum mitigatus fuerit, commodè ſubjungi poſſunt internè tonica, martialia & nervina, præprimis autem MRa tonico-nervina Illuſtris STAHLII, ex Tinct. ♁ii acr. & Ωtus

C. C.

C. C. partibus anaticis conſtans, it. Tinct. ⊕li ♂tis LUDOV. Croc. ♂tis aperit. ZWELFF. & ♁iat. STAHLII, Spec. de Hyacinth. diamargar. cal. cordiales cal. &c. Externè ſacculi ex roborantibus & nervinis parati, it. ſpiritus cephalici atque nervini, Lil. convall. Roriſmarin. Lavend. Serpilli, &c. Balſ. vitæ HOFFMANNI, TEICHMEYERI, Auguſtanus, unacum ita dictis antapoplecticis, egregiè conducunt, quæ etiam, ſubjunctâ congruâ diætâ, ſupra recenſitis cauſis facilè accommodandâ & opponendâ, ulteriorem horum affectuum recurſum optimè præcavere poſſunt.

TANTUM.

S. D. G.